R. A. 20. Nobembr. 1656

VOTA, ET MOTIVA REGIAE AVDIENTIAE IN CAVSA DOMNAE IOANNAE DE TOLEDO.

SVPER APPREHENSIONE.

IN DEI NOMINE, Amen. Nouerint vniuerſi, quod anno à Natiuitate Domini milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſexto, die verò computato vigeſimo menſis Nouēbris, apud Ciuitatem Cæſarauguſtæ Regni Aragonum, & in Camera Regij Conſilij Ciuilis Regiæ Audientiæ interuenerunt multum Illuſtris Dominus Don Fabricius Piñatelo, Dux de Monteleon, Locumtenens, & Capitaneus Generalis pro ſua Maieſtate in præſenti Aragonum Regno, Magnifici Domini Doctores Ludouicus ab Exea, & Talaiero, Regens Cancellariam, Didacus Canales, Ioannes Baptiſta Alegre, Gaſpar Lupertius Tarazona, & Petrus Cabero, Regij Cōſiliarij: coram quibus fuit poſitus Proceſſus Domnæ Ioannæ de Toledo viduæ, Cæſarauguſtæ domiciliatæ, ſuper apprehenſione Status, & Comitatus de Arãda; in quo, præmiſſa relatione per dictum Magnificum D. D. Ioannem Baptiſtam Alegre, Relatorē, tam dictus Dominus Relator, quam omnes dicti Magnifici Domini Regij Conſiliarij, nec nō dictus Dominus Regēs, concordes fuerunt voti, & opinionis. Quod Attent. cont. &c. tenetur, & debet pronuntiare, & reponere Illuſtrem Domnam Philippam Clauero, & de Seſſe viduā, principalē Ioannis Franciſci Ibañez, Ioſephi Philippi Sãchez, & Didaci Panzano, Procuratorum, in loco, iure, inſtantia, & actione, in quibus fuerunt in præſenti proceſſu, & cauſa Egregij, Don Ioannes Ximenez de Vrrea, Don Ludouicus, & Illuſtris Don Antonius Ximenez de Vrrea, eius vir, Comites de

 Aran-

Aranda, tempore suæ mortis; & hoc, iuribus suæ viduitatis durantibus tantùm. ET quatuor ex dictis Magnificis Dominis Regijs Consiliarijs concordes fuerunt voti, & opinionis. Quod, Attent. cont. tenetur, & debet pronuntiare, & sine præiudicio dictæ viduitatis in eisdem loco, instantia, & actione reponere Egregium Don Petrum Paulum Ximenez de Vrrea, Zapata, Fernandez de Heredia, principalem Nicolai de Sepúlbeda, Vincentij del Plano, Ioannis Michaelis de Otto, & Ioãnis Laurentij Ibañez, Procuratorum; cætera per Procuratores partium, respectiuè, supplicata locũ non habere. EX EO præcipuè, & aliàs, Illustris Domna Philippa Clauero, & de Sesse reponitur in, loco, jure, instantia, & actione, in quibus fuit Illustris Don Antonius Ximenez de Vrrea, Comes de Aranda, eius vir, tempore sui obitus (& hoc pro iuribus suæ viduitatis, eisque durantibus) quia constat, inter ipsos, verum, ac legitimum matrimonium fuisse cõtractum. Ex quo viduitas foralis superstiti Comitissæ cõpetebat, & cõpetit in sédẽtibus, bonis prædefuncti à Foro nostri Regni, & iuxta praxim illius; etiam si illa Vinculata fuerint, vt notissimũ est: & licet in pactis dotalibus, illius intuitu inter ipsos conuentis, limitata viduitas promissa fuerit cum renuntiatione expressa viduitatis foralis in cęteris bonis, & iuribus mariti: minimè verò renuntiatio huiusmodi absoluta fuit; sed cum relatione ad pactum inter eosdem coniuges conuentum; quo, facultas, & potestas Comiti viro reseruata fuit augendi prædictam viduitatem; eam vniuersaliter constituendo; vel in illorum parte sibi bene visa; cuius tenor est prout sequitur. *ITEM es pactado, y concordado entre las dichas partes: que para en caso de disolucion del presente matrimonio sin hijo, ò hijos postumo, ò postumas, que à luz peruinieren del presente matrimonio, el dicho Excelentissimo Señor Conde de Aranda, se reserua poder, y facultad, assi en vida, como en muerte de poder añadir, y aumentar dicha viudedad foral en todos los otros bienes de sus Estados, Villas, y Lugares, en los que le pareciere de los arriba especificados, y confrontados à su libre arbitrio, y voluntad: y quieren, y expressamente consienten, que qualquiere Escritura, ò Testamento que hiziere, y otorgare para dicho aumento de viudedad, sea parte, y porcion de esta Escritura matrimonial, y surta, y tenga todos aquellos priuilegios, fines y efectos, que de Fuero, Derecho, Obseruancia, vso, y costumbre del presente Reyno de Aragon, surtiera, y tuuiera, si estuuiera, aumentada, declarada,*

da, expressada, y añadida en la presente escritura de Capitulaciõ Matrimonial: y esto se entienda tambien, aunque en dicha escritura de aumento que hiziere, assi en vida, como en muerte, no dixesse expressa, ni tacitamente, que vsa de dicha facultad reseruada; porque desde agora para entonces es visto querer vsar de dicha facultad deuidamente, y como conuiene, segun Fuero del presente Reino. Potestas huiusmodi, & facultas augendi viduitatem in prædicto pacto, & modo prædicto reseruata, sufficiens semper iudicata fuit, vt incrementum viduale subsistat, etiam si postea sequuto jam, ac consumato matrimonio ad actum illa facultas reducatur: & hoc, quamvis bona vinculo, & fideicõmisso perpetuo subiecta fuerint; absq; eo quod obstare posit renuntiatio expressa Comitissæ, hæc etenim metienda, & regulanda est cum prædicto pacto reseruatorio, nõ enim absolutè, sed ad casum, quo Comes prædicta facultate non vteretur reducẽda pacta, & etenim, & præcipuè dotalia corres pectiua sunt vnumquodque ipsorum propter aliud appositum fuisse censendum, vt vera æqua litas inter contrahentes attendatur, quę nõ procederet, si per obseruantiam vnius ex pactis aliud destrueretur, quando diuersis respectibus, vel temporibus obseruantia effectiua illorũ militare potest, vt in præsenti; renuntiatio etenim Comitissæ subsisteret, si Comes prædicta potestate pacti reseruatorij, non vsus fuisset eam; verò ad actũ reducendo (prout reduxisse inferius apparebit) renuntiatio in nihilo proderit substitutis, in præiuditiumque illorum incrementum viduale militabit, ac si à principio in eisdem pactis dotalibus fuerit appositum. Hoc etenim fuit expressa, & enixa voluntas contrahentium, & pręcipuè Comitis reseruantis, ibi: *Sea parte, y porcion desta escritura*, & iterum, *surta todos los efectos, que surtiera, y tuuiera, si estuuiera aumentada en la presente escritura, &c.* Potestate autem Comitis demonstrata ad voluntatem illius deueniendum, quę si appareat modo legitimo declarata cunctis numeris perfecta hæc vniuersalis viduitas apparebat: Comes igitur, vt maiori firmitate, securitate, & arcano, voluntas sua circa præfatum augmentum viduitatis effectum sortiretur, suum vltimum testamentũm condere decreuit, illudque aliena manu scriptum in calce ipsius sua propria signauit, ipsumque statim Notario tradidit clausum sigillatum, ac iurũ, vt deliberatione, ac traditione publicum instrumentum conficeret, prout confecit, tribus testibus interuenitibus, subscriptis in dorso illius, siue supra clau

surã: mortuo deinde Comite aperto, lectoq; publicato per Notarium, illius thenore inter alia, circa prædictum incrementum disponens, ita post narrationem fidelem, ac indiuiduã supradicti pacti reseruatorij suorum cum Comitissa pactorũ dotaliũ cautum reperitur. *POR TANTO, vsando de dicho drecho, y facultad, atendiẽdo al mucho amor, y voluntad que he tenido, y tengo a dicha Condesa Doña Felipa Clauero mi muy querida, y amada muger, la dexo viudedad foral; y quiero que la tenga en todas mis Villas, Castillos, Lugares, y Pardinas de mi Estado de Aranda abaxo confrontados: Y tambien en mis Lugares del Reyno de Valencia, Tenencia de Alcalaten, Varonias de Mislata, Beniloua, y Cortes de Arenos, que tambien estan abaxo confrontados; y en la jurisdicion ciuil y criminal, alta y baxa, mero y mixto imperio de aquellos: y quiero que sea parte y porcion esta Clausula, y Testamento de dicha Capitulacion matrimonial, y que surta y tenga todos los priuilegios, fines, y efectos que de Fuero, drecho, vso, y costumbre de Aragõ surtiera, si estuuiera aumẽtada la dicha viudedad en la dicha escritura de Capitulacion matrimonial.* Et licet variæ, & non leues quæstiones circa validitatem huius Testamenti statim suscitatæ fuerint inter partes, quas omittere pro nunc cẽsuimus, eas in aliud iudicium reseruando: quidquid etenim de foro Regni circa illius valorẽ procedat, saltem ad effectum dictæ viduitatis sufficit, vt tãquã scriptura priuata (in qua enixe illius incrementum cõtinetur) subsistat, provt subsistere certissimè apparet, cui æquè pactũreseruatoriũ aptatur, acsi publica esset, authoritateq; publica confecta, ibi: *En qualquiere escritura, ò testamento*: quæ verba iuxta ipsorũ proprietatem, vsumque loquendi communem, eodem modo includunt priuatam, sicut publicam scripturam cõprehendunt; eaque ad publicam vnam prædicti generis speciem rèstringere, præcipuè in Regno nostro, nefas iudicamus: nec verba illa subsequentia: *Que hiziere, y otorgare*: aliquid de præcedentium vera cõprehensione detrahunt; siquidem illud: *hiziere*: ad verba: *qualquiere escritura*: referri, videtur, & illud: *otorgare*: illa, *ò testamento*: respiciunt: & ita, singula singulis referẽdo, propriissimè loquutus fuit Comes in prædicta reseruatione facultatis; necnõ etiam, quod prædicta verba: *hiziere, y otorgare*: eodem modo conueniunt scripturæ publicæ, ac pruiatę. Hæc enim manu conficientis subscriptam voluntatem propriam demõstrat, & ita factam, & concessam per eundẽ fuisse merito dicere possumus; solum enim differunt ratio-

tione solemnitatum, quæ in publica requiruntur, quia ex illis vberior probatio, & probata insurgit, quæ etiam in nostro casu minimè deficiunt. QVAM primum etenim auxit Comes viduitatem vxori in hac scriptura, pars, & portio illius publicæ Capitulorum Matrimonialium, vbi reseruatio extat, effecta fuit, iuxta contrahentium voluntatem: & hoc, ad omnes iuris, & fori effectus, vt tam in reseruatione, quam in istius vsu enixe, ac geminate Comes profitetur; ibi: *Y que surta, y tenga todos los priuilegios, fines, y efectos, que de Fuero, Derecho, vso, y costumbre del presente Reino surtiera, si estuuiera aumẽtada dicha viudedad en la dicha escritura de capitulacion matrimonial.* Igitur declaratione voluntatis Comitis subsecuta, vna, & eadem scriptura effecta est ista (in sui principio priuata) cum illa publica; & ita æquè solemnis, vti illius pars, judicanda, vt non semel in similibus Senatus iste decreuit. De veritate autem istius voluntatis Comitis in hac scriptura declarata dubitare non licet, quando apparet, schedulam istam, in qua continetur, manu Comitis in illius calce subscriptam esse, vt vnus testis de visu concludit; alter eam etiam vidit, & cognouit recenter fuisse confectam, quando testamẽtum claudebat; & alter instrumentalis actus liberationis vna cũ pluribus, qui eã viderũt, & agnouerũt illico lecto, & publicato testamento: ac etiam per comparationem, cum alijs fere innumeris subscriptionibus Comitis etiam de illius veritate apparet, vt ex relatione peritorum, & oculari eorum inspectione, de quibus apud acta, satis aperte liquet. Quæ omnia plenissimam fidẽ huic scripturæ ex foro, & praxi Regni tribuunt. Minus etiam obstat, annullato testamento (si forte nullum declaretur) annullatam quoque manere huiusmodi declarationem vidualis incrementi in eo contentam, quæ à causa nullitatis prætensæ, si percutere possunt testamentum, tanquã in illius concessione, & receptione commissæ, minimè verò scripturam istam lędere possunt intra cancellos priuatæ remanentem commissæ, etenim, cõtenduntur in actu liberationis Testamẽti, quando iam subscripta erat per Comitem schedula. Igitur illatio ista tanquam ex separatis, non rectè deducitur ex eodem capite prætensa falsitas huius scripturæ diluitur; siquidem aliqua mutatio, ex qua inferri contenditur, licet perperam, non in dispositione inclusa, sed in dorso, siue clausura illius ex accidenti subsecuto, post apertionem, & publicationem dictæ scripturæ contigit, vt ex partiũ testibus promiscuè

infertur; ante etenim illius apertionem, & publicationem illęsa clausura visa fuit per plurimos testes, vt probatum extat abunde. Nec omittenda clausula codicillaris per Comitem adiecta, ibi: *Valga por qualquiere otra vltima voluntad.* Cuius virtute cōfirmata manet ipsius volūtas in ijs, quę ex valore Testamenti non pendebant, qualis fuit in occurrenti casu, ista Comitis declaratio quoad incrementum viduitatis: & ita dicere solemus, ex actu minus solēni declarationem volūtatis saltem inferri; quod caute, & cordate per Comitē paciscentem præuentum fuisse videtur, quando in pacto reseruatorio adiecit: *Y quiero, que sea parte y porcion esta Clausula, y Testamento de dicha Capitulacion matrimonial:* Siquidem illam clausulam suæ voluntatis declaratoriam, non vt partem Testamenti respexit; sed suorum pactorum dotalium portionem esse voluit. Et ita quidquid circa testamenti solemnia contingat, de illius subsistentia minimè dubitandum; siquidem de pactorum dotalium, nec de reseruationis valore dubitare non licet. Ex quibus satis perspicue de valore viduitatis vniuersalis liquet, vt iuxta voluntatem Comitis repositio concedatur, vt optimo iure, illa durante Comitissæ conceditur. Sine præiudicio verò iuriū dictę viduitatis Comitissæ, reponitur in eisdē loco, iure, instātia, & actione præfati Comitis D. Antonij, Egregius D. Petrus Paulus Ximenez de Vrrea; quia constat, bona ista apprehensa fuisse instante Domna Ioanna de Toledo, vt tutrice Illustris Don Ioannis Ximenez de Vrrea eius filij, includendo ipsum vt successorem in maioratu constituto per Comitem Don Michaelem, eius avū, in pactis dotalibus conuentis inter eum, & Don Ferdinandū Ximenez de Vrrea eius filium, & Marchiones de Villafranca, & Domnam Ioannam de Toledo; vbi maioratus fuit constitutus ad fauorem masculorum per lineam rectam masculinam, ex dicto Don Ferdinando descendentium, reseruatione in eis expresse adhibita; vt, si Don Ferdinandus filius, & donatarius, absque filijs, vel descendētibus masculis per rectam lineam masculinam legitimis decederet; vel eius filij, & descendentes, absque filijs masculis decederent: dictis casibus, ac illorum quolibet, bona in donatione cōprehensa peruenirent in quem donans disponeret testamento, codicillo, vel alia vltima voluntate, vel qualibet alia ordinatione, siue dispositione; quam, partem prædictorum capitulorum taliter fecerunt, tanquam si à principio in eis inserta, & continuata foret. Deduxit etiā Dō-

na

na Ioanna capitula matrimonialia sui soceri Don Michaelis cum Domna Barbara de Monsalve; quibus expresse cautum fuit, vt donatio facta in illis Dōnæ Ioannæ, & Don Ferdinandi firma, & stabilis esset, cum pactis & vinculis in eisdem cōtentis: casu verò, quo Don Ferdinandus filius absque liberis masculis, vel descendentibus ex eis per lineam rectam masculinam decederet, proprios filios masculos, ex dicto matrimonio suscipiendos, eorumque descendentes per lineam rectam masculinam substituit, & vocauit. Exhibuit etiam Testamentum sui viri Don Ferdinandi, quo tutrix relicta fuit Dō Ioannis filij. Altera propositio etiam fuit oblata per Tutores in Testamēto avi scriptos nomine eiusdem Don Ioannis, ipsum includendo cum scriptura vulgo: *La vnion*, nuncupata, concessa per D. Michaelem, tempore quo iam Don Ferdinandus filius emedio sublatus fuit, relicto Don Ioanne vnico nepote. Cumque videret, de facili posse evenire deficientiam masculorum ex masculis, quos in prædictis pactis dotalibus inuitauit, iterum easdem vocationes ipsorum constituit, & in illorum, & suorum descendentium masculorum plurimas substitutiones adiunxit, in quarum altera, Egregium Don Petrum Ximenez de Vrrea contineri inferius demostrabitur. Exhibuerunt etiam dicti, Don Michaelis Testamentum, qui vna cum dicta Domna Ioanna Tutores relicti erant, eneruando, & impugnando illud Don Ferdinandi Patris, quo eius vxor tutrix vnica mortuo D. Michaele scripta erat: ac etiam dicta pacta dotalia per tutricem Domnam Ioannam exhibita, concludentes eisdem, vt veris tutoribus nomine dicti pupilli bona restitui debere, oblatis deinde replicationū schedulis, conclusoque processu, obtinuit Domna Ioanna, vnica pupilli Don Ioannis Tutrix, istaque verus Domi nus detentor, ac possessor bonorum declaratus: tam in vim Capitulorum matrimonialium suo rum parentum, quam etiam alte rius instrumenti publici pactorum Comitis Don Michaelis cum Domna Barbara de Monsalbe. His sic præhabitis, liquido apparet, instantias huius processus per Don Ioannem adquisitas fuisse, nomine maioratus, tāquam illius primum successorem; siquidem, vt dictum manet, cum scriptura illius obtenta fue runt; in qua ex vi relationis, & reseruationis, omnes vocationes in dicta scriptura vnionis contentæ, scriptæ, & expressæ cēsentur; id siquidem natura relationis operatur, coniungere quippè relatā scripturam, illiusque thénorem cum referente,

iux

iuxta voluntatē paciſcentium, ibi: *Lo qual* (loquebatur de Vinculis, ac ſubſtitutionibus, in vim reſeruationis apponendis) *quieren las dichas partes, ſea auido, como ſi aqui fueſſe inſerto, è continuado.* Si pars ſunt vnionis, vincula, & ſubſtitutiones prædictorum Capitulorum matrimonialium, prout neceſſario fatendum eſt; fateri quoque debemus, quæſitas fuiſſe huiuſmodi inſtantias per Don Ioannem; non ſolum ad fauorem ſuorum deſcendentium maſculorum, ſed etiam ad illorum, quorum vocationes ſcriptę extant in præfato vnionis inſtrumento in proceſſu exhibito, ac fide facto in vim coniunctionis, & vnionis vocationum, ex quo forſan tale nomē dicta ſcriptura aſſumpſit, & ad præſens retinet: quod clarius ſuadetur, ponderando verba illa reſeruationis, ibi: *En los dichos caſos, y cada vno dellos, el dicho Eſtado, Señorio, y Caſa peruenga en aquel, ò aquellos, y de la forma, y manera, &c.* In quibus ſubſtantia vocationum, & huius maioratus conſtitutio continetur, cũ relatione tamen ad expreſsionē perſonarũ, quæ ſucceſſurę erãt; vt ſic merito poſsimus affirmare, quod ex iſta ſcriptura de per ſe relata, maioratus formatio inducta ſit, cum vocationibus illarum perſonarum, quę poſtea in altera vnionis relata inuitatę, & contemplatę ſunt. Neque obſtat, litis iſtius materiam, ſiue ſubiectum, non dominium bonorum fuiſſe; ſed tutelam, vel ipſius adminiſtrationē: ſiquidem in ea contēdentes vnanimiter in ſuis petitionibus confeſsi fuere, dominum bonorum fuiſſe pupillum Don Ioannem quod, licet ita ſe haberet, non tamen indè inferri licet, inſtantiam iſtius iudicij minimè quęſitam fuiſſe ad vtilitatem minoris, cum qualitate ſucceſſoris maioratus per Comitem Dō Michaelem ſuum avum conſtituti, tam in ſcriptura pactorum dotalium ſuorum parentuum, quam etiam in illa vnionis in vim reſeruationis, & relationis. Quod ex eo patet; quia effectus illius ſententię duraturus erat, prout vere permanſit, finita minori ętate D. Ioãnis: Igitur cauſę illius cognitio, & diſcuſio Domini minoris fuit, quoad Don Ioannem; inter litigantes autem tutores, tutelarum validitas controuerſa fuit, & ſic commiſsio Curię in vim ſententię bona apprehenſa, ipſorumq; dominium principaliter reſpexit: ſecundario vero legitimum tutorem indagauit, cui nomine pupilli, & ad illius commodum, ſua inhabilitate durante, adminiſtratio iſta commiſſa fuit. Neque etiam obſtat; Domnam Ioãnam minime ſcripturam vnionis exhibuiſſe; imo eam in articulo nono ſuæ propoſitionis impugnaſſe; tutoreſque, qui de illa

illa fidem fecerunt succubuisse; quia respondetur, virtute relationis vnitas, & conjunctas fuisse scripturas istas, taliter, quod pro vnica reputari debeant, vt dictum est. Impugnatio verò Domnæ Ioannæ, nec ex dicta positione, si rectè perpendatur, inferri valet: tum quia ad diuersa tendit, vt ex illius lectura infertur, vltra quod, nec eam impugnare, aut contradicere poterat Domna Ioanna; siquidem in reseruatione, cuius virtute concessa fuit, consensit: nec etiam sui filij minoris nomine; quia potestas ampliandi vincula, & substitutiones à prędicta scriptura pactorum per eam, vt tutricem exhibita dimanauit. Neque tandem obstat extinctio facultatis reseruatę, deducta ex vsu, ac illius exercitio in pacto de la Monsalbe, cum quibus, & non cum illis, Don Ferdinandi, & Domnę Ioannę obtinuisse minorē contenditur, quia facilis est solutio; siquidem reseruatio duos casus, in se distinctos respexit; & in eis, ac eorum altero concessa fuit potestas Don Michaeli augendi substitutiones, & vocationes: vsus fuit illa in casu mortis Don Ferdinandi, absque filijs masculis in pactis de la Monsalbe: igitur consumpsit illam. Etiā quo ad aliū casum non rectè infertur illæsa; siquidem permansit prædicta facultas in alio casu per scripturam vnionis prouiso; quando etenim completa nō est facultas, sed iuxta eam aliquid superest agendum, in eo quod remansit durat; extincta etenim tantum fuit, quo ad casum jam præuentum in pactis de la Monsalbe, taliter quod postea in illomet nihil disponere, aut mutare poterat Comes Don Michael: in alio verò non præuento eadem facultas permanet intacta, & illæsa; & quid quid in vim illius gestum fuerit subsistere debet: nec illud de sententia obtenta in pactorum de la Monsalbe accōmodari valet; quia, vt ex motiuis Senatus infertur, instrumētum publicum nuncupantur pacta illa Don Ferdinandi, ac illa de Mon salbe, siquę nullitas aduersus illa opposita contempta per Dominos fuit; quod etenim verius existimamus, est, adducta fuisse illa de la Monsalbe, vt Locus de Pomar ab integro apprehenderetur, prout apprehensus fuit, & in eo posset obtinere pupillus; siquidem, vt ex illis infertur, medietas illius fuir per D. Michaelem adquisita post concessionem priorum pactorum Don Ferdinandi; & ita illum ab integro in secundis de la Monsalbe adduxit, cum expresione emptionis medietatis illius. Ex quibus infertur, instātiam istam, & sententiam obtentam fuisse per minorem, cum qualitate suc-

ces-

cessoris in majoratu constituto per Comitem Don Michaelem in scriptura illa pactorum suorum parentum Don Ferdinandi, & Domnæ Ioannæ, & per reseruationem, & relationem cum illa etiam vnionis; quamvis etiam, quoad legitimationem tutorum, ac inter eos de potiori tutela Senatus cognouerit: Id ipsum successores Don Ioannis, Don Ludouicus, filius quippè, & Don Antonius nepos agnouerunt; siquidem, quamprimum illis, ac eorum cuilibet successio delata fuit, statim repositiones suas supplicarunt, ac obtinuerunt in iuribus, & instantijs sui, respectiuè, Patris, & aui: si igitur tutelæ prætensæ tantum disceptatio fuisset, inutiles forent petitiones, & illusoria huius Senatus decreta. His sic præhabitis: ad inclusionem Egregij Comitis Don Petri Ximenez de Vrrea accedendo: ipsa tam enixè, ac clarè ex scriptura vnionis deducitur, vt ad eam percipiendam, sola lectura substitutionum opus sit; absque eo quod in sui examine, ac cognitione quæstio illa se obtulerit; sicque paucis nos expediemus. Licet etenim varias substitutiones in hac scriptura vnionis Comes Don Michael confecerit, eos tamen miro, ac clarissimo ordine construxit, vt in ipsarum qualibet quasi digito demonstrata appareat persona, & qualitas in eis respectiuè cōtemplata. Cum igitur tempore illius confectionis in sua virili descendentia Don Ioannes ex filio Don Ferdinando susceptus existeret tantum; & ex fratre etiam prædefuncto tres nepotes extarent, Don Lupus, Don Emanuel, & Don Michael de Vrrea, nuncupati post varias vocationes, & substitutiones in defectum filiorum, & descendentium masculorum ex eis, per rectam lineam masculinam ex Don Ioanne nepote filios dicti Don Lupi, & descendentes masculos, ex eis per rectam lineam masculinam admisit; & in illius, ac illorum defectum, simili modo vocauit filias Don Emanuelis, ac tertio loco, filias, & descendentes masculos ex eis tertij nepotis Don Michaelis; in quorum omnium defectum in hac substitutione expressè contemplata apparet Domna Anna de Vrrea, si viua fuisset tempore obitus nouissimi Comitis Don Antonij, & post eam succederent etiam ipsius filij masculi, ac descendentes masculi per lineam rectam masculinam; taliter, quod Egregius Don Petrus Paulus à filio masculo Domnæ Annæ fuisset procreatus, absque dubio successio eidem competeret: sed quia à dicta Domna Anna auia deriuatur mediante Domna Ludouica Zapata, genitrice, suæ vocationis casus

ex alia clausula deducendus, ex illa quippè, quæ intermixtis alijs substitutionibus subsequitur, & sic se habet: *Y en defecto de todos los susodichos, no hallandose Varon legitimo, y de legitimo matrimonio procreado descendiente de Nos, ni de las dichas nuestras nietas, hijas, nieto, y sobrinos: Y assi ninguno de los que arriba son llamados, capaz para suceder en los dichos bienes, por el orden, y de la forma, y manera arriba; queremos, ordenamos, y mandamos, que la dicha Casa, Estado, y Mayorazgo nuestro, preuenga en los descendientes Varones legitimos, y de legitimo matrimonio procreados, de los dichos nuestros sobrinos Don Lope, Don Manuel, y Don Miguel de Vrrea nuestros sobrinos; aunque sean por linea femenina, de uno en otro de mayor en mayor seruando ordẽ de primogenitura succesiuamẽte, prefiriendo los descendientes de Don Lope a los de D. Manuel, y los de Don Manuel a los de Don Miguel, con los pactos, vinclos, condiciones, prohibiciones, substituciones, cargas, formas, y maneras arriba dichas, puestas, y ordenadas, y abaxo especificadas. Y en caso que descendientes Varones de los dichos nuestros sobrinos, faltassen en qualquiere manera, y en qualquiera tiempo, de suerte, que no sobreuiuiesse Varon descendiente dellos legitimo, y de legitimo matrimonio procreado, habil, capaz, y suficiente para la dicha sucession, la dicha Casa, Estado, y Mayorazgo nuestro, con los pactos, vinculos, cargas, y condiciones sobredichas, y abaxo escritas, y por Nos en la presente ordinacion puestas, y ordenadas. Queremos, ordenamos, y mandamos, aya de peruenir, y peruenga en aquel, ò aquellos, y de la forma, y manera, y con los vinclos, pactos, y condiciones que por Nos en nuestro vltimo Testamento, Codicillo, y vltima volũtad, ò otra qualquiere ordinacion, y disposicion que por Nos fuere hecha, ò se hiziere serà dispuesto, y ordenado: lo qual queremos sea auido como si aqui fuesse inserto, y continuado; lo qual podamos fazer, en vna, ò mas vezes como quisieremos, y biẽ visto nos fuere: de suerte, que miẽtres descendientes Varones se hallaren de Nos, y del dicho D. Pedro de Vrrea nuestro hermano legitimos, y de legitimo matrimonio procreados, ayan de suceder en el dicho Mayorazgo, Casa, y Estado nuestro, por el ordẽ, y de la manera y forma arriba dicha: el qual aya de ser Conde de Aranda, Vizconde de Viota señor del Vizcondado de Rueda, de la Varonia de Alcalaten y de las Villas, Castillos, y Lugares, bienes, cosas, y derechos, rentas, y cosas arriba dichas, y mencionadas.* Cum igitur Egregius Don Petrus Paulus, masculus legitimus, sit à Dõ Michaele nepote, ex fratre Co-

mitis vinculantis descendens, in eoque adsint qualitates omnes ad succedendum requisitæ, vt probatum extat, indubia redditur ipsius vocatio, maximè in Regno, vbi chartæ stare debemus; cum versemur etiam in majoratu, in quo agnatio contemplata tantum fuit in certis vocationibus, quibus deficientibus, prout verè defecerunt, fœminæ, & earum descendentes semel, ac iterum inuitatæ fuerunt. Neque obstat exclusio pro parte Egregij Comitis de Fuētes prætensa; eo quia prædictus Comes Don Petrus, ex duabus fœminis immediatis derivatur à Domna Ludovica Zapata matre; Comes autem Fontanus, ex vnica tantum, ex Nobili quippe Domna Beatrice Ximenez de Vrrea vinculantis sorore, de cujus filio masculo primogenito, linea recta virili, descendit; sicque in eo majori perfectione cōseruatam fore artificialem agnationem à Comite Don Michaele ex optatam, vt ex contextura vocationum facile deprehenditur, & ex consequenti, ipsum Egregio Don Petro, iuxta mentem Don Michaelis, preferendū. Respondetur etenim, interpretationem istam voluntatis expresè resistere litteræ, sine illiusque clara violentia non esse admisibilem; veramq; & genuinam perfectionem consistere in obseruantia voluntatis Comitis vinculantis eo modo, quo ipse eam declarauit, nec alia extranea exquirenda, neque ex optanda est; verba siquidem illa: *Descendientes Varones de nuestros sobrinos, aunque sean por linea femenina*: Secundum suam propriam, naturalem, ac veram significationē prædictū Comitē includunt cū expressa, ac clara Comitis Fontani exclusione; siquidem ille vocatus reperitur in Testamento Comitis D. Michaelis, & deficientibus omnibus illis, quorum vocationes in scriptura vnionis cōtinentur, vt ex clausula proximè inserta satis aperte infertur. Dubietas autem militare posset, si aliquis masculus, comprehensus in vocationibus dictæ scripturæ vnionis, cōcurreret cum Egregio Don Petro, in quo cadere posset prædicta major perfectio conseruandæ agnationis artificiosæ, à D. Michaele ex optata; in concursu etenim isto prælatio controversiam aliquam pati posset; at verò in masculo posteriori vocatione invitato, qualis est Egregius Comes de Fuentes, res extra disputationis aleam est. Vlterius, verba illa: *Por linea femenina*: aptantur propriisimè descendenti ex duabus immediatis fœminis, maximè quando in alia præcedenti vocatione, descendentes masculi, ex vna expresè vocati reperiuntur, vt in præsenti; quemadmodum enim

linea

linea ex pluribus punctis continuis constituitur; sic etiam linea fœmenina cõficitur ex duabus, vel pluribus fœminis immediatis. Quod apertius demonstrare voluit Comes, dum asseruit: *Aunque sean por linea femenina*: quæ verba, præcedente vocatione masculorum ex vna, vt in his vocationibus præcessit, necessario de descendentibus ex duabus intelligenda sunt. Neque tandem officit, verba illa: *Descendientes varones, aunque sean por linea femenina.* intelligi debere de masculis descendentibus ex duabus fœminis non immediatis, sed mediatis; ita, quod ex priori fœmina masculi procreati fuerint, vt ex horum nouissimo altera fœmina derivetur; cujus descendens masculus successibilis erat; minimè verò ille, qui ex duabus fœminis immediatis derivatur; facilis enim est solutio, quæ ex generalitate, & comprehẽsione verborum: *descendientes varones*: depromitur; apta etenim, vt collectiua sunt, æqualiterque comprehendunt, & includunt masculum ex duabus fœminis mediatis descendentem, quam illum, qui ex duabus immediatis prouenit; non enim rectè infertur de vnius comprehensione ad alterius exclusionem, diuinatoria siquidẽ est prætensa inductio, & vt talis, ac litteræ restrictiua reijcienda, maximè in Regno, vt dictum manet. Nec omittẽda, pro solutione, clausula illa finalis per viam declarationis, ex abundanti per Comitem Don Michaelem adjecta, ibi: *Desuerte, que mientras descendientes varones, se hallaren de nos, y del dicho Dõ Pedro de Vrrea nuestro hermano, legitimos y de legitimo matrimonio procreados, ayan de suceder en el dicho Mayorazgo, &c.* Cum igitur ex descendentia Comitis Don Michaelis, nec ex faterna, nullus alius descendens masculus existat, nisi Egregius Don Petrus, merito eidem repositio in iuribus vltimi Comitis Don Antonij conceditur, non obstante praxi allegata, qua in Regno denegari solent repositiones collateralibus cum vinculis; quando etenim de illa constaret, intelligẽda, si in collateraliũ, vel transversaliũ iure aliqua discusio juris intricati, vel quæ altiorem indaginẽ exposcat, interveniat, tunc enim, in directum iudicium eam reseruare congruit: sin verò casus clarus vocationis statim ex lectura substitutorũ insurgat, absq; eo quod, nec in minimo laboret intellectus in vocatione repositionem petentis, cur eidem differenda, nec deneganda? praxis etenim ista, quemadmodum in casu dubio, & quæstionibus iuris involuto, iustissima est, & obseruanda; ita è contra-

tra-

trario, in casu claro, ac patenti illius obseruantia iniusta est, & vt talis contemnenda, maximè in Tribunalibus Supremis (vt non semel in isto iudicatum videmus) & quando partes in incidenti repositionis, licet sumario, sua iura plenè deduxerunt, vt in præsenti, in quo abundè, tam in iure, quàm in facto nihil intactum omiserunt, quod ad suorum iurium liquidationem, & cognirionem conducere posset. Ex quibus, iure optimo, prædicta repositio Egregij Don Petri, cæteris repulsis, decernitur, & aliàs. Attẽt. content. &c. VNVS VERO ex dictis Dominis de dicto Regio Cõsilio superius nominatis fuit voti, & opinionis, quod: Atten. content, &c. tenetur, & debet pronuntiare, & reponere Illustrem Domnam Philippam Clavero, & Sesse, principalem Ioannis Francisci Ybañez, Iosephi Philippi Sanchez, & Didaci Panzano, Procuratorũ, in locum, ius, instantiam, & actionẽ, in quibus fuerunt in præsenti processu, & causa Egregij, Don Ioannes, Don Ludouicus, & Illustris Don Antonius Ximenez de Vrrea eius vir, Comites de Aranda, tempore suæ mortis, iuribus suæ viduitatis durantibus: cætera supplicata locum nõ habere. EX eo verò repositio Illustris Comitissæ decernenda consulitur; nam apparet, sub anno millesimo quingentesimo quadragesimo septimo, mortuo Comite Don Michaele Ximenez de Vrrea, ortam fuisse contentionem inter Domnã Ioannam de Toledo, viduam D. Ferdinandi Ximenez de Vrrea sui viri, & matrem Don Ioannis Ximenez de Vrrea communis filij ex vna parte, & Don Ioannem Ximenez de Vrrea Abbatem Montis Aragonum Patruũ, Don Franciscum, & Don Lupum Ximenez de Vrrea ex parte altera; prætendentes, ad eos pertinere, simul cum prædicta Domna Ioanna, regimen, & administrationem tutelæ, in vim Testamenti Don Michaelis, in quo erant descripti tutores prædicti simul cum Domna Ioanna, personæ, & bonorum ad pupillum pertinentium: at verò ipsa prætendebat, se tantum fore tutricem, in vim Testamenti Don Ferdinandi mariti, in quo reliquerat communem filium hæredem, & tutores Don Michaelem Patrem suum, & Domnam Ioannam vxorem, hoc adiecto; quod si tutori supervixisset, pro vt euènit, sola, tutelam administraret: Cum verò maritali affectione, & materno amore, tutelæ fidem exequi desiderasset, prudenter animaduertens, amplissimum hunc Comitatum, in quo pupillus successerat, tutorũ discordia minui, ac dissipari posse; tũ & ipsi agnati tutores, idẽ dam

num

num metuentes, conuenerũt, vt omnes tutelam administrarent, absq; præiudicio iurium vniuscuiusque partis, quousque à pactione vellent resilire, per denũtiationem cæteris faciendam, vt latius datur intelligi in scriptura concordiæ, exhibita in primo codice processus sub pagina octocentesima quinta. Deinde verò Domna Ioanna, impatiens consortij, à pactione recessit; voluntatemque suam notam fecit tutoribus diebus, decimo sexto Martij, vigesimo octauo Aprilis, & quinto Maij, anno millesimo quingentesimo quadragesimo septimo; eodemq; tẽpore, videlicet die vigesimo Aprilis eiusdem anni, litem instituit in hac Regia Audientia, supplicando, vt ad manus illius bona prædicti Comitatus apprehenderentur; cedula verò secretæ informationis (quam nostri appellitum vocant) ad obtinendum decretum apprehensionis, lacera inuenitur; extant verò reliquię in duabus paginis; & in tertia, conclusio libelli: in prioribus duabus exponebat Procurator Domnæ Ioannæ, vt elicitur, pupillum iustissimis titulis, per se, & per tutricem, & aliàs eius mandato tenuissè, & possedisse Villas, Loca, Castra, res, & bona Comitatus; & testes super hac informatione recepti testãtur, possedisse per quindecim menses, mediante dicta tutrice; exhibuitque Testamentum Dõ. Ferdinandi, vbi pupillus fuit scriptus hæres; & ipsa Domna Ioanna, in casu mortis Don Michaelis, sola tutrix relicta; qua informatione Iudici ministrata, obtinuit apprehendi dictum Comitatũ ad manus Regię Audientiæ: & citatis omnibus, quorum intererat per ædictum, tutores præfati, die decimatertia Iulij eiusdem anni, suam obtulerunt petitionem, quæ non inuenitur. Die verò, quo in actis referebatur, dicuntur exhibita instrumenta quædam vnionis, & Testamenti Don Michaelis Ximenez de Vrrea (quamquam nobis, vnionem ibidem fuisse exhibitam, non probatur) cæterũ ex processu coniectamur, tutores voluisse Don Ioannem pupillum, hæredem, aut successorem facere Comiti D. Michaeli, in vim Testamenti eiusdem; &, eo nomine, ipsos tutelam administrasse. Dedit etiam suã petitionem Domna Ioanna, quæ inuenitur folio quatuorcentesimo trigesimo octauo, in qua agnoscit Comitem Don Michaelem Dominũ tempore, quo nupsit Don Ferdinando eius filio, & in pactis dictum Comitem donasse, primogenito masculo legitimo, eiusdem matrimonij; cæterisque descendentibus per rectam lineam masculinam, iure primogenij suum Comitatum, sub certis vinculis, & reseruatio-

tionibus: subiungitque; ex eo matrimonio suscepisse D. Ioannem pupillum; & deinde prædictum Comitem Don Michaelem, mortua Comitissa Domna Alduncia de Cardona, secundas nuptias, cõtraxisse cum Domna Barbara de Monsalbe; in cuius pactis ratam habuit; & comprobauit donationem prædictam, & (vt illius Procuraror exponebat) abdicauit à se omnem potestatem sibi reservatam in prioribus capitulis. Constat, etiam, Don Ferdinandum reliquisse hæredem, suum filium; & tutricem, Domnam Ioannam, vt diximus; & decessisse Don Ferdinandum; & postea Don Michaelem Comitem, & avum, superstitibus Dõna Ioanna, nuru, & Don Ioanne nepote quibus supplicauit in vim dominij pręscriptionis, aut possessionis, sibi restitui vt tutrici bona vtenda fruẽda. Deinde constat, Domnã Ioannã in replicationis cedula pagina sexcentesima quinquagesima secunda, impugnasse adversantium iura; quia ipsa erat tutrix à patre relicta; ipsi verò tutores ab avò: & allegabat, habenti tutorem alios dari non debuisse; eorumque quasi possessionem enervabat per protestationem paciscentium præseruatam in prædicta concordia: in adversum verò in sua replicatione, folio sexcentesimo octuagesimo primo, obijciebãt tutores; pacta nuptialia, tam prima, quã secunda, insolemnia fuisse, neq; obseruata, de quibus ab articulo primo, vsque ad septimum; & in hoc dicebatur, donationem factam Dõ Ferdinando, & Domnæ Ioannæ intelligi, dum Donatarius superuiueret; Testamentũque Don Ferdinandi esse insolemne, & nullum; Comitem fuisse Dominum bonorum Comitatus, eaq; vniuisse; ac eodem die condidisse Testamentum, relicto hærede illorum, pupillo: ex quo vnico cõtextu fuerunt cõfectę prędictę scripturę vnionis, & Testamẽti; pluribusqne alijs exceptionibus per quadraginta, & plures articulos contra pręetensionem Domnę Ioãnę, de iure tutelę contendentes, diuagati sunt, quę non tam vt otiosa, quam prolixa amãdamus: His igitur satis, superq; cõtrouersis; sententia legem dedit, recipiendo propositionem Domnę Ioannę; & mandando, eidem vt tutrici, & curatrici bona Comitatus restitui, sub die decimo Iulij, anno millesimo quingentesimo quadragesimo nono. Deinde Egregius Don Ludouicus, successor primogenitus D. Ioannis, fuit repositus in locum patris quinto Maij, millesimo quingentesimo nonagesimo; quo defuncto, ingressus est in eius locum Illustris Comes Don Antonius Ximenez de Vrrea, anno millesimo sexcentesimo decimo sep-

ſeptimo,per cujus mortem prę-ſens lis excitata eſt:nam Illuſtris Comitiſſa DomnaPhilippa,fuiſ-ſe reponendam in ius,& inſtan-tiam ſui viri contendit, in vim pactorum dotalium,quibus cer-ta illi aſsignata viduitate reſer-vavit ſibiComes augendi facul-tatē in qualibet ſcriptura, pro-vt eam adauxit in Teſtamento controuerſo. Illuſtris Marchio de Ariza,in vim eiuſdem Teſta-menti ſe hæredem ſcriptum re-fert,& immittendum in poſſeſ-ſionem Comitatus. Magnificus verò Don Petrus Ximenez de Vrrea,Regens Officium Gene-ralis Gubernationis, nititur in ſcriptura Vnionis per DonMi-chaelem confectæ, & tanquam expreſsè vocatū ſubingredi in locum Don Antonij defuncti. Tandem Comes Fontanus, ex-cludere ſatagens vocationem Don Petri ſe vocatum in Teſ-tamento eiuſdem Comitis Don Michaelis, & reponendum exi-ſtimat.His præmiſsis,vt rationi-bus decidendi deſerviant,viam-que muniant: exiſtimamus jure repoſitam Illuſtrem Domnam Philippam;cum oſtenderit,Co-mitem virum ſuum ampliandi illud viduitatis ſolatium reſer-vata ſibi facultate vſum fuiſſe in ſcriptura Teſtamenti: adverſus quam, & ſi multa obiecta ſint, tamen (quidquid de viribus il-lius dici poſſet) adhuc,ceu pri-vatam ſcripturam continere, & exprimere ſuam voluntatem vi-duale incrementum conceden-di, ambigere non opportet; nam certum eſt,Comitem illam tradidiſſe Notario, & coram te-ſtibus tanquam elogium ſuę vo-luntatis poſtremum: at cum de ſolemnitate dubitatur illius,ſup pleri(ſi quę deſit)jure poteſt per aliam pactorum nuptialium; ita vt ex hac,ſolemnitatem;ex illa, declarationem recipere cenſeà-mus. Pariter etiam receptum vi demus,Dominos bonorum vin-culis annexorum, ſimiles facul-tates reſeruantes,illis poſſe vti; conſtituendo, ſive augendo ſuis vxoribus viduitatem, in hono-rem caſtitatis,& repræſentatio-nis maritorum, quorum huma-næ, & diuinæ domus conſortes ſunt, vtque illuſtriores ſibi fœ-minas ſociare præſumant; atque ita,cum hęc viduitatis aſsigna-tio pars dominij cenſeatur,me-rito vxores, dum viduæ relin-quuntur, jure inſtant, vt repo-nantur, & ſubrogentur in prę-defunctorum maritorum juri-bus,ex receptaRegni praxi:ob-jectiones verò, quæ adverſus hanc ſentētiā opponuntur,ſub-tiliores magis, quā ſolidæ ſunt, atque in nihilo convincunt,iā-que illis per Dominos aptiſsi-mè reſpondetur, ideo in earum ſolutione non immoramur: & ſit etiam ſatis, ſcripturæ appel-latione,in illis verbis pactorum Comitis Don Antonij: *Conſien-*

ten, que por qualquiere escritura, ò Testamento que hiziere, y otorgare para dicho aumento de viudedad, sea parte, y porcion de esta escritura matrimonial: tam publicam, quam privatam scripturam contineri:neque eo minus valere debuisse eius voluntatem, qui testari nixus fuit, si nimiam, & miseram diligentiam non adhibuit;nam,vt prosequitur alicubi Iure-Consultus: Si minus aliquid legitimè, minusvè perite fecerit,pro jure legitimo haberi debet hominis sani voluntas. IAM VERO, Illustris Marchio de Ariza reponendus nō videtur; cum instrumentum, quo se includere desiderat, non careat exceptione, cujus cognitio commodius ad aliud judicium differatur;neque admittuntur exposita,& supplicata pro parte Magnifici D.Petri Pauli Ximenez de Vrrea,Regentis Gubernationem,& Egregij Comitis Fontani: nam existimamus,in hoc processu actum non fuisse de successione huius Comitatus principaliter, sed de jure tutelæ inter tutores; ita,vt finis totius controuersiæ hanc metam tenuerit; cujus occasione,admixta fuit cognitio fideicommissi gentilitij cōstituti in pactis dotalibus Don Ferdinandi, & in secundis Comitis Don Michaelis; ac proinde,ad prætensos successores in vim hujus fideicōmissi prorogati in scriptura vnionis,qua nititur D.Petrus; & in scriptura Testamenti eiusdem Comitis,vnico contextu coram eodem Tabellione, & testibus celebrati(cui Fontanus Comes adhæret)jus prosequendi judicium respectivè, seu(vt nostri vocāt)instantiā non pertinere: & in primis movemur; nam(vt supra diximus in hypothesi)mortuo Comite Don Michaele, & mense nondum elapso, exorta fuit contentio tutorum super jure administrandi tutelam: cum igitur habeamus causam litis introducendæ manifestam, per partes confessam, & instrumento vallatam;supervacuum est quærere, an de successione pupilli principaliter contendissent: quod amplius re ipsa cōprobatur; siquidem qualitas,sub qua,tam apprehendens Domna Ioanna, quam cæteri litigarunt, non fuit proprio cujusquam nomine, sed tutorio, nihil sibi præsumentes, nisi tuitionem pupilli,cōservationem, & augmentum bonorum;ac inde,non tantum successionis cōtroversia aliqua considerari potest;sed imò,omnium invenitur confessio, agnoscentium pupillum Dominum, possessorem, & detentorem bonorum Comitatus: quæ ratio movit Senatum, vt in propalando animi sui motu non alium titulum exquireret; nec declararet,an pupillus Dominus esset per scripturam

ram donationis primę, secundę, aut vnionis, & testamenti, ibi: *EX EO, quia in propositionibus, tam pro parte Domnæ Ioannæ, quam pro parte Don Lupi, & aliorum litis consortium, omnes fatentur, bona apprehensa, tam respectu dominij, quam possessionis, seu detentationis pertinuisse tempore oblationis appellitus præsentis apprehensionis, & antea, Illustri pupillo Don Ioanni de Vrrea*: vndè igitur deducere possumus, controuersum esse de iure successionis; ita vt actiones actiuæ, & passiuæ transierint in successores maioratus secundũ regulas iuris? minusque iuxta normam scripturæ vnionis, in qua tanta moles exageratur: deinde Domna Ioanna, cũ sola possessione pupilli supplicavit apprehendi ad manus Regiæ Audientiæ bona Comitatus, vt in reliqua parte libelli, & conclusionis eiusdem, quę superest, inuenitur: Exhibuitque solum Testamentum Don Ferdinandi, quo ipsi, mortuo Comite Don Michaele, tutrix remanebat; & quamuis in propositione deduxerit titulum donationis Comitatus, celebratę in pactis suis dotalibus, & etiam D. Barbaræ; id referre convenit, ad tutelæ jus cõfirmandum, vt plenius declarabimus. Tutores etiã in sua propositione (quæ deest in processu) ad suã inclusionem, & jus suæ tutelæ deducẽdum, vnionis scripturam exhibuisse non constat; totam vim facientes (vt colligitur) in sua possessione, & Testamento Comitis: & de vnione meminerunt in articulis, duodecimo, & decimoquinto suæ replicationis, nulla mentione facta, aut relatione ad suã propositionem, cũ illam scripturam ad eneruationẽ, & exclusionem deduxerint. Hinc Domna Ioanna adversus illam in sua replicatione, contra petitionem tutorum nihil opposuit; cum tamen, si tutores in propositione deduxissent vnionem, absq; dubio excepisset eius Procurator, bona ad pupillum ex priori titulo pertinuisse, neque Dominum effectum amplius dominium acquirere potuisse: quod & Iudicum rationes confirmant validissimè; cum sentiant, tutores ex prætensa quasi possessione pupilli litigasse; hoc est, suam intentionem fundasse, & exposuisse in petitione; sat enim illis, ad obtinendũ in hoc articulo, sufficiens erat illa quasi possessio. Item, jus Dõnę Ioannæ admiserunt, exclusis alijs; & in tota serie harum rationum, altissimum est silentium de vnione: quorsum ergo deducemus, controuersiam de successione, & instantiam in vim vnionis transiuisse, quæ nec ad causam tutelæ in propositionibus enuntiatur? certè non inuenimus. Præterea, quamvis concedamus, in conclu

ſione,& denuntiatione proceſſus mentionem de ea fieri per Procuratorem Tutorum;proinde non admittimus,pupillum in vim vnionis Dominum fuiſſe;& ſibi,& ſucceſſorib⁹ in ea vocatis jus proſequẽdi judiciũ cõſequutum; nam vltra ſuperius dicta, Domna Ioanna in articulo nono ſuæ petitionis, poſtquam expoſuit, Don Michaelem Comitem omnia bona Comitatus, & apprehenſa in vim primæ,& ſecundæ donationis in filium Dõ Ferdinandum,&Don Ioannem, cæteroſque per rectam lineam maſculinam prouenientes contuliſſe, proſequitur: *Imò dictus Illuſtris Comes abdicavit á ſe omnem poteſtatem ſibi reſervatam in dictis capitulis matrimonialibus*. Ex quibus ita generatim prolatis negari nequit, dictam Illuſtrem Domnam intellexiſſe, Comitem de bonis dicti Comitatus, reſeruationis alicujus prætextu, amplius non valuiſſe diſponere, moderando, aut ampliando fideicõmiſſum:& ipſi aduerſantes tutores in ſua replicatione prædictas dotales tabulas (quarum in prima Comes diſponendi facultatem ſibi retinuit)multis impugnarũt,vt vidimus; præcipuè, ipſammet primam inſolemnitatis, & nullitatis arguentes; quod tamen repugnat validè, vt ſentiamus, aliquam ex partibus contendentibus exhibuiſſe vnionẽ ad obtinendum hoc interdictum in vim ſucceſsionis;cum tamẽ tota vis hujus facultatis (ſi aliqua in donatore remanſit)à reſeruatione penderet.Vnde,nec commodum,aut beneficium aliquod conſequi partes potuerunt, ex eo quod impugnarunt; neq;etiã ſi nõ impugnauiſſent, legitimè, & juridice de illis ſe iuvarunt: tandem, quamvis tutores principaliter de ſucceſsione contendiſſent;& quamvis vnionis hæc ſcriptura in propoſitione, ad proſecutionem ſui juris exhiberetur;tamen,cum Regia Audiẽtia,finem liti imponens, tutorũ petitionem rejecerit,totam vim vnionis eneruauit;nam, vt jure cavetur,iniquiſsimum eſt proficere rei iudicatæ exceptionem ei contra quem judicatum eſt; vnde cum tot difficultates inueniantur, vt poſsimus intelligere, in vim vnionis inſtantiam litis ad contemplatos in prædictis ſcripturis tranſiuiſſe, difficilius eſt de repoſitione tractare: ex quibus ineffieax redditur axioma illud:Ex vi relationis cẽſeri vnum contextum, & vnam voluntatem, quidquid in pactis nuptialibus,& vnione conſiſteret. Minus obſtat, Regiam Audientiam repoſuiſſe ſucceſſores Comitis in locum Don Ioannis;nam,vltra quod Don Ludouicus exhibuit vnionem;*ſi & in quantum*, & Don Antonius *beneficio fori*, in quo varij ſatis,&

sine vlla controuersia repositio nem supplicarunt; hoc, nullius momenti esse censemus, ad informandam sententiam obtentam per Domnam Ioannam, quę, & eius rationes exquirēdę sunt, nonque Regens Cancellariam summariè decrevit, reponendo filium in locumPatris; nam cum vinculis, & sine eis, ita pronuntiandum erat; sed jam velut manuducimur ad aliud firmissimū fundamentum, quo nitimur ad prædictis repositiones denegandas, nempè: In Regno nostro receptissimum esse, instantiam per prædecessorem in maioratu, fideicommisso vè, tunc demū permitti, aut concedi ad alios successores transire; quando, vel hi sunt filij, aut fratres defuncti possessoris, qui nomine maioratus sententiam reportavit; aut tales, qui se in bona prædicta immitti desiderāt, palam scripti sunt, nec per interpretationem vocationem suam derivare student, & quanquam hoc praxi admissum sit, secundum quā sæpissimè Senatum censuisse norunt omnes; ac proinde non omnia, quæ à maioribus tradita sunt, ratio redditur quibus etiā nulla ratione reddita rationis est credere. Cæterum vt legem absque ratione latam non opinamur; minusque consuetudinem, aut stylum; cum suavior illa lex sit, quæ omnibus placet; hic verò, electis, & cordatissimis viris: tamen aliquā perscrutari, aut suspicari lubet. Igitur credimus, hāc praxim ex visceribus Romani Iuris descendisse: dum ex edicto Diui Adriani; hi soleant immitti, qui scribuntur hæredes, ita vt palam scripti sint; non qui veterum effigies ex ordine avorum repetere velint, statimque de jure suo non docent; cum judicij hujus natura eò respiciat, terminumque habeat angustissimum, quemadmodum cæteris interlocutionibus levis præiudicij concessum est: indeq; sufficit exhibere Testamentum in figura, quasi immorari non liceat in examine; sed vt dicitur: Hodie constat, hodie agatur: at, vbi allegantur plurium vocationes, matrimonia, mortes, cōditiones, defect⁹, & similia, quibus Causidicorum paginæ complentur, testibus, ac documentis instruuntur; dū vincula leguntur, dispiciuntur, & recensentur, nonnè multum tēporis consumere necesse est? At quid dicimus, si in ipsis vinculis implicamur? dum tanta est mentis nostræ fragilitas, & alienę voluntatis interpretandæ difficultas, vt nihil aliud frequentius eveniat, quā, quod primogenia opulentissima vni debita, ac relicta, alteri contra instituentis voluntatem, etiam à peritissimis, rectissimisque Iudicibus assiduè adjudicentur, ac cōferantur, anceps enim est via,

& tam, præ nimia ſubtilitate, judicia teſtantium defraudantur, quam ſi mente relicta ſcripta ſequi velimus, calumniantur: inde nihilo devia Regni praxis in vinculis filios, & fratres ad repoſitionem admiſit; nam, vltra quod filij naſcuntur magis, quam ſcribuntur hæredes; cum ratio naturalis, quaſi lex quædã tacita, liberis parentum hæreditatem addicat, velut ad debitã ſucceſsionem eos vocando, quare, & viuentes, Domini, aut Dominuli vocitantur; pariterque fratres, vnum cor, vnumque ſpiritum habere dicuntur; magnãque inter eos natura cognationem conſtituit: certũ eſt filios, &(his deficientibus)fratres primum locum ſucceſsionis obtinere, in eiſque ceſſare vinculorum examen; cum magis inſtituti, quam ſubſtituti, extra vincula ſint: indeque intelleximus, adhuc priorem praxim, liberos tantum in repoſitionibus iſtis admiſiſſe, quæ deinde commentitio jure ad fratres derivata, & progreſſa eſt: cuius exemplum quoddam, ſeu veſtigium invenimus; dum in Curijs anni milleſimi quingenteſimi octuageſimi noni foro cavetur, liberos in defunctorũ parentum, qui liberale judicium inſtituere, locum ſubingredi poſſe (neque de fratribus, in quibus, proxima ratione, idem poterat ſtatui, quicquam ſancitur) & ſi jure ſanguinis, & à natura ipſa (vt pluribus placet) nobilitas derivatur, non levis erit argumẽti vis. Extant etiam aliæ rationes, quæ cogunt, aut congruunt ad retinendam prædictam praxim; nam videmus repræſentationem ad tertium vſque gradum reſtrictam: inteſtati quoque cauſam ad proximos, & immediatos ſucceſſores jure, & foro cõprobatam; infinitum eſt enim remotiores avos ab origine quærere, & (vt noſtri dicunt) campum Damaſcenũ: exceptionem fideicõmiſsi non impedire cenſuum exactionem, Dominis, & Vniuerſitatibus ſimul obligatis, in quo noſtra conſuetudo excutiendi cenſus fundatur: item, ad obtinẽdam immiſſionem venientem non compelli, quenquam in jus vocare; licet audiatur, qui ſua doceat intereſſe. Vndè ſatis arguitur, immitti deſiderantem manifeſtum jus ſine jurgio, & ambage demonſtrare debere; alioqui tutiſſimum eſt, contentionem in directũ judicium deferre. Quibus alia adiungere, non tam eſſet difficile, quam interim longum: atque ideo optimo jure inueteratum hunc ſtylum coaluiſſe, variiſque in cauſis, & præcipuè Ixarenſi (re acriter diſceptata) iuxta eundẽ, in recurſu pronuntiatum comperimus; & quanquam noviſsimè aliud hæc Regia Audientia ſenſerit, placitum ſub lite eſt. Neque negotium facit

cit opinio existimantium, concedendas esse has immissiones in bonis vinculatis, ex vi subrogationis, & instantiæ translatæ in successores, quando substitutiones videntur clarè, & aliquo possunt examine discuti, licet immittendus non appareat scriptus in primogenio. Nā multis respondemus: securius esse, prædictam subrogationem denegare; cum omnes quæstiones, tam facti, quam juris (admissa nostra praxi) censeantur habere indaginem, & nimiam disputationē, & oporteat recurrere ad Iudicum arbitrium, indeque rem arbitrio expositam, minus esse manifestam & certam, quamvis jus certum sit: igitur declaratio illius articuli ex interpretatione, non ex inspectione descendit. Deinde Aragones, qui suæ libertatis studiosi, semperque soliciti sunt, ægre ferunt Iudicum sententias, quæ non tam ex charta, quam ex animo Iudicum pendēt; cum præcipuè secūdum chartam ex prædicta ratione illis judicia reddantur; nec tacita legum Romanarū auxilia, apud nos vires suas exerāt. Præterea, etsi concedamus oppositā sententiam communiorem, nihilo magis illa amplectenda est, quādo nostra Curiæ stylo, & praxi roboratur; ideo namque juramus servare foros, vsus, & consuetudines, quibus multum deferendum est, ne sensim dilabamur ad immutanda, quæ interpretationem certam semper habuerunt; præcipuè vbi nec evidens ratio, nec vtilitas postulat: addimus etiam, casus etiam esse claros; sed nihilominus, ne sub colore eorum nimium protendatur arbitrium, jure libertatem sentiendi, & arbitrandi cohiberi; nam, vniversitatum bonis exhaustis, Clerici tenētur cōmuni necessitati subvenire; eisdem nihilominus, libera imponendi licentia denegatur. Præterea: leges frequentibus incōmodis occurrunt; minoribus enim, etsi bonæ frugis sint, remque gerant vtiliter, eorum alienatio interdicta est, sæpius enim aliud accidere, experientia docet. Tandem: tutius contendentibus super maioratu cōsuli potest, si omnibus auditis, & meritis adamussim examinatis, congruo judicio contentio dirimitur, quæ tanto magis suadenda erāt in casu occurrenti, vbi jura litigatorum reperiuntur instructa in articulo possessorio in hac Regia Audientia, vbi secundum forum de jure successionis agi potest; sed hac repositionis admissa via, & lata sententia, panduntur forsan incidenter, rationes eorundem Iudicū, quorum etiam judicium expectatur, quod magnum esse inconveniēs, sciunt omnes. Tandem: his exemplis, repetuntur expensæ partium, lucubrationes Iudicum,

cum, & tempus ad alia digerenda, & expedienda negotia apprimè necessarium molestè, non minus, quam inutiliter sæpè cōteritur. Sed jam ad tertium fundamentum accedimus, indigitantes disputationem Magnifici Don Petri Pauli Ximenez de Vrrea, & Egregij Comitis Fontani, de jure suæ immissionis cōtendentiū, quæ quidem suamet contentione obscurantur; nam, cum Don Michael Ximenez de Vrrea institutor, voluerit constituere primogeniū agnatitiū in honorem Illustris Familiæ *de los Vrreas*, & in defectū agnatorum, masculos substituerit per viam cuiusdam agnationis repræsentatę (fœminas quantū potuit à successione repellendo) certū videtur, masculos ex fœminis descendentes non vocari, nisi pro se exceptionem demonstraverint. Et licet Don Petrus, post excursum pluriū substitutionum in vigesima prima clausula vnionis, intendat se vocatum, tanquam descendentem ex Don Michaele Ximenez de Vrrea nepote institutoris ex fratre, à quo per Domnam Annam de Vrrea, & Domnam Ludovicam Zapata descendit, existimatque se in illis verbis vocatum: *Peruengan en los descendientes varones legitimos y de legitimo matrimonio procreados de los dichos nuestros sobrinos, Don Lope, Don Manuel, y Don Miguel de Vrrea nuestros sobrinos, aunque sean por linea femenina.* Cæterū pro parte Comitis Fontani in dubium vertitur, ex duabus fœminis procedentem Don Petrum vocatum esse; refertque dicta verba, non quidē ad comprehendendum descendentem per duas fœminas, sed descendētes masculos ex fœminis descēdentibus ex filijs nepotibus, vel alijs descendentibus masculis Don Lupi, Don Emanuelis, & Don Michaelis (vna tantum fęmina mediante) cum enim institutor in anterioribus substitutionibus, enixè agnationem amaverit, & solicitè quæsierit; & in defectum agnatorum per plures substitutiones digressus, tandem devenisset ad introducendam successionem agnatitiā repræsentatā, mediantibus masculis per lineā virilem descendentibus ex filiabus Don Lupi, Don Emanuelis, & Don Michaelis; & in hac vocatione cæteri masculi, qui (vt diximus) ex aliis fęminis (præter filias) à prædictis Don Lupo, Don Emanuele, & Don Michaele descendere poterant, vocati non erant: ad hūc igitur casum nō cōprehensum, necessariū perpetuitati, & congruum fini, prudens consilium institutoris animadvertitur; ad eumque prædicta verba: *Aunque seā por linea femenina*; respicere Comes Fontanus persuadet; atque ita per duas fœminas im-

immediatè venientem Don Petrum, excludit; seque, in eodem gradu existentẽ, & eodem contextu in Testamento vocatum, & præferendum contendit. Quibus etiam fauet (secundum mentem fundatoris) lineam dici fœmineam, vbicumque lineã masculorum in vera, & ficta agnatione agnascens fœmina interrumpit. Qui enim studet cõseruare agnationem veram, aut imitatricem, per lineam fœmineam, eam intelligit; quæ, vel agnationem per interpositionẽ alicuius fœminæ extinguit; vel denuo refectã, & reparatam nova fœmina rumpit: vndè verba: *Aunq̃ sean por linea femenina*: interpretari possunt civiliter, vel naturaliter; civilem autem sensum suadet finis, & subiecta materia: & quemadmodum intellectus iste, seu expositio magis conformatur, propriusque ad Comitis voluntatem accedit; sic largus ille, & naturalis deviat, & distat: & licet verba prædicta, in quibus rei pondus inclinat, adminus recipiant vtrumque sensum, jam vocatio Don Petri manifesta non est; rei enim quę multipliciter intelligitur, plerumque veritas ignoratur. Neque ex vi literæ validum argumentum sumitur; siquidem verba scripturæ præcipuam declarationem admittunt, vt menti deserviant: neq; enim tantus honor, aut reverentia verbis conceditur, quin mẽs deseratur; sed ad verisimilitudinem, & rationem, res, & verba coniungenda sunt. Accedit, masculos cognatos, suæ qualitatis, & proximitatis consideratione in Testamento Comitis vocari eodem contextu (vt prędiximus) condito: qua generali provisione, cõprehenduntur ex duabus, aut pluribus fœminis descendentes: præcedentes verò substitutiones in scriptura vnionis contentę, ad descendẽtes ex vna, congruentius referuntur; si velimus servare finem, seriem, & typum primogenij à Comite instituti. Cæterum hæc, non tam dicta esse velimus, quasi judicium decretoriũ reddamus; sed cum lege resipiendi, & resiliendi; & vt saltim ambiguitas cõtentionis deprehendatur merito ab hoc articulo repellenda; sunt, & alia quæ disceptationem augent, & vnionem ejusque vim enervare videntur, exceptionibus oppositis, super extinctione facultatis vniendi, ac defectu dominij bonorũ, quæ fuerunt Don Petri Ximenez de Vrrea vinculantis. Enimvero hæc sufficiant, disputationesque prędictas relinquamus, & alias, Att. cõt. &c.

SIG✠NVM mei Didaci Hieronymi Pozuelo Infantionis, & Ciuis Ciuitatis Cæsar-augustæ, & in eadem do-

miciliati, Scriba Mandati S.C.R.M. Domini nostri Regis in locumtenentia Aragonum, qui huiusmodi Vota, siue Motiua à libro Motiuorum Regij Consilij Ciuilis de anno millesimo sexcentesimo quingentesimo sexto, vbi continuata existunt, bene, & fideliter comprobata extraxi, & signaui.